

§. II.

Supponimus igitur primo, omne corpus, five luminoso-  
 nosum illud fuerit five illuminatum aut coloratum, ra-  
 dios ex quovis sui puncto quaqua versum in medium  
 diaphanum emittere, hos vero tamdiu in recta linea  
 procedere, donec in corpus aliquod opacum, aptum ad  
 ipsos reflectendum, impingant, sic autem impactos atq;  
 ulterius progredi prohibitos reverti in idem diaphanum,  
 per quod antea transierant.

§. III.

Cum deinde radii hunc in modum in corpus opa-  
 cum illapsi, pro varia illius dispositione varie reflectan-  
 tur; secundo supponimus eos lævi ac polito corpori im-  
 pulsos ad angulos æquales reflecti: nimirum, ut semper  
 in quibusvis ejusmodi corporibus, five plana illa fu-  
 erint, five convexa, five concava, angulus, qui est inter  
 superficiem speculi & radium incidentem; quales in ap-  
 positis figuris sunt anguli A F C, ei qui est inter radium  
 reflexum & superficiem speculi, ut sunt anguli E F B,  
 æqualis sit.

§. IV.

Generalis fundamenti loco assumimus jam illud Ja-  
 cobi Rohaulti, quod nobis omnium maxime arrisit,  
 juxta quod etiam omnes circa locum apparentias in  
 Traët. Phys. Part. I. Cap. XXXIV, deduxit; & est hoc:  
*Locus cujuscunq; puncti radiantis speculo mediante apparens  
 est, ubi duo ejus radii in speculum prolapsi, exinde reflexi, &  
 extremum pupillæ ambitum ingressi, concurrunt, si retro per  
 puncta reflexionis in linea recta producantur.*

§. V.

Id quod probamus hoc modo: Certum est nos  
 omne visibile punctum in directa visione ibi videre, ubi  
 B duos